


M. P. C. P.



Valentini Thebani Gon
v April 1618
Francofurti ad Viadrā

Leyser, Polycarp

28



SUB AUSPICIIS JHOVÆ
QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM
EX EPITOME FORMULÆ
CONCORDIÆ
DECAS I.


De
COMPENDIARIA
DOCTRINÆ NORMA: ET
IPSO CONCORDIÆ LIBRO.

PRESIDE
POLYCARPOLYSERO
SS. Theol. Licentiat. & Profefs.
Extraordinario.

RESPONDENTE
M. ERNESTO HETTENBACHIO
Witteberg.

*Disputabitur ad diem 2. Martij horis
à sexta matutinis.*

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS GORMANNI.
ANNO 1611.





ANTIQUA GENERIS PROSAPIA,
EGREGIA VIRTUTUM OMNIUM
GRATIA, PRÆCLARA NOBILITATIS GLO-
RIA, VERE NOBILISSIMO

**Dn. IOACHIMO à SCHULEN-
BURG,**

Domino in Lôcknitz, Lubenau, Baronatu
Straupizensi, Apenburg, Bezendorff, Lü-
berösa, Westenburg, Penkun, Zan-
cha, & Zepzin, &c.

Domino ac Patrono meo magno,

Disputationem hanc Theologicam
in debitæ observantiæ monumentum
gratiq; animi documentum,

*Consecrare, offerre
& volui, & debui*

M. Ernestus Hettenbachius
Wittebergensis, Saxo.

IN NOMINE IESU Prooemium.



CHRISTUS IESUS Servator noster jam jam se-
ipsum oblaturus solemnibus à patre suo precibus contendit,
Joh. 17, 21: Rogo Pater sancte, ut omnes unum sint,
sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis u-
num sint. Arcchissimo hoc sanctæ ac jucundissimæ fidelium u-
nitatis vinculo, cujus fundamentum est veritatis verbum, Ecclesie Prote-
stantium cura & vigilis magni nostri Lutheri arcchissimè conjuncta, con-
stricta & devincta fuerunt: Sed felicitas hæc diuturna (proh dolor) non
fuit. Quam varijs enim modis & artibus à morte Magni illius Viri, Satan
hoc vinculum dissolvere studuerit, notius est quam expediat. Et certè illud
vel tandem ruptum & prorsus sublatum fuisset, nisi Dominus, qui fuit nobis-
cum, aureo Concordiæ libro conscripto & publicato, dissidia tum publica, tum
intestina sustulisset, & corpus Ecclesie gravissimis motibus dissipatum pristi-
næ paci ac tranquillitati restituisset. Cujus Libri autoritas, facta tecta ut
asseratur & defendatur, quemvis veræ religionis, & ex hac promanantis
unitatis studiosum decet. Quo ipso fine & nos aurei Concordiæ Libri arti-
culos, in Epitomen breviter congestos, hac vice quoq; breviter sub disput-
ationis incudem vocare volumus. Rogantes DEVM, DEVM pacis, ut sancti-
ficet nos in veritate sua, & hæc nostra qualiacunq; dirigat ad nominis sui
gloriam, Ecclesie adificationem, & propriam salutem. Amen.

QUÆSTIO I.

Quæ sit norma ac regula planè infallibilis, ad
quam omnia dogmata exigenda &
examinanda?

THESIS I.

NUnquam non Diabolum varias hereses & doctrine scandala excitasse
torus Bibliorum codex, nec non primitiva ac nostræ Ecclesie tempora sa-
tis attestantur. Ne ergo in errores etiam electi seducerentur, canon certus,
confi-

constitutus est, ad quem omnia dogmata exigenda, & quae in eisdem certamina pie declaranda ac componenda sunt.

II. Verum in varias & discrepantes hic homines eunt sententias.

III. Syencofeldiani sive Entusiastae peculiare quosdam Spiritus Sancti afflatus commendant, & pro norma fidei nostris Ecclesijs obtrudere volunt. Verum quia 1. à verbo DEI scripto semper longius abducunt. 2. Imò è diametro plerumq; ei adversantur. 3. Nec in Scriptura tales raptus sine externo verbo promittuntur: Rom. 10, 6. 4. periculosi etiam sunt: quomodo enim relicto verbo DEI inter dictamen Spiritus Sancti & illusiones Diaboli distinguere possunt. 2, Cor. 11, 13. Phanaticorum responsa phanaticis credenda merito relinquimus.

IV. Calviniana cohors codici sacro dictamen rationis adungere satagit. Annon autem 1. mysteria fidei captum humanae mentis longissimè excedunt Matth. 11, 27. Joh. 1, 18. quae etiam in ijs quae alias conspectui eius exposita videbantur, saepius caligat Sapien. 9, 16. 2. Ideò captivanda est in obsequium Christi 2, Cor. 10, 5. 3. Stultam enim fecit DEVS sapientiam huius mundi. 1. Cor. 1, 20. 4. nec vult ut animalis spiritalia, sed spiritalis spiritalia dijudicet 1. Cor. 1, 14. Magnum ergo periculum, res fidei committere humanis rationibus. Chrylost. Homil. 21, in Genes.

V. Pontificij sacra Scriptura normae infallibili, Traditiones, Ecclesiae definitiones & Doctorum Orthodoxorum consensum necessario jungi asserunt. Colloq. Rat. p. 18. Verum nulla nos hic constringit necessitas. 1. Nam Traditiones quod attinet. quia 1. supra id quod scriptum est, sapere non debemus 1. Cor. 4, 6. 2. sed in ijs manere, quae didicimus in Scriptura 2. Tim. 3, 14. 3. Scriptura etiam ea quae contra & quae praeter Scripturam Ecclesiae obtruduntur, rejicit. Gal. 1, 8. 4. Imò quicquid praeter Scripturam, idem contra Scripturam asseritur; quia Scripturis nihil omnino addendum Deut. 12, 32. 5. traditiones etiam ipsae non solum sunt plerumq; valde iucertae & dubiae, verum etiam periculose & cum maximis incommodis conjunctae: pari pietatis affectu & reverentia cum Scriptura suscipere ac venerari nequitiam possumus. II. Nec Ecclesiae definitiones simpliciter audienda 1. dependent enim à definitionibus CHRISTI Johan. 10, 16. 2. ex verbo judicanda 1. Johan. 4, 1. 3. erroneae possunt esse Rom. 3, 4. 1. Corinth. 13, 9; imò ipso actu fuerunt tam in Veteri Testam. 1. Reg. 22, 6. quam in Novo Test. Johan. 11, 47. III. Patrum consensus 1. admodum rarus est, subinde enim etiam sibi ipsis contradicunt, 2. & licet

licet consentiant quandoq; nec errent, infallibilitas tamen nulla hinc sequitur, sed veritas ex infallibili veritatis fonte extracta. 3. & cum omnia probanda sint, 1. Thei. 5, 21, nec patrum dogmata hac in parte peculiari privilegio gaudebunt.

V I. Nos ab omnibus supra enumeratis divortium facientes, Verbum DEI Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum Scriptis comprehensum, doctrina, cultus ac fidei Christianae unicam, certam ac infallibilem normam, regulam ac mensuram, indubitanter agnoscimus. Colloq. Rat. p. 19.

V II. Id verò hoc unico, brevitate causa, evictum damus argumento: Quacumq; Scriptura hominibus à DEO est commendata, 1. ut Canon & regula omnis divinae veritatis. 2. qui nec fallit, nec fallitur. 3. certus quoq; & constans omnem additionem & detractionem respuens. 4. à quo Salus & perfectio hominis unice dependet. 5. secundum quem reformationes instituta DEO solum placuerunt. 6. & à quo, quacumq; etiam intentione, quae recesserunt, reprehensi & puniti sunt: illa sola & unica, cultus & fidei norma certissima judicari debet.

V III. Sed Verbum DEI Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum Scriptis comprehensum nobis à DEO commendatum est. 1. ut Canon & regula omnis divinae veritatis, Psal. 19, 5. Deut. 4, 2. Esa. 8, 20. Gal. 6, 16, 1. Tim. 6, 3. 2. qui nec fallit nec fallitur, Psal. 119, 105. Joh. 17, 17. 2. Petr. 1, 19, 3. certus quoq; & constans, omnem additionem & detractionem respuens Deut. 4, 2. c. 12, 32, & 5, 32. Prov. 30, 6. Ezech. 20, 18. Apocal. 22, 18. 4. à quo salus & perfectio hominis unice dependet Joh. 5, 39. & 20, 31. 2. Tim. 3, 16, & 17, 1. Joh. 2, 4. 5. secundum quem reformationes instituta DEO solum placuerunt: testantur hoc exempla Davidis 1. Paral. 16, 40. Iosaphati 2. Paral. 17, 9, 10. & aliorum de quibus vide Coll. Ratisb. p. 88. 6. & ab eo, quacumq; etiam intentione qui recesserunt, à DEO reprehensi & puniti sunt Gal. 1, 8. Vide exemplum Gedeonis Judic. 8, 27. Matrìs Micha Judic. 17, 3. Saulis Regis 1. Sam. 13. Ieroboami 1. Reg. 12. & Colloq. Ratisb. p. 97.

V IX. Ergo Verbum illud DEI Prophetarum Evangelistarum & Apostolorum Scriptis comprehensum, est sola illa & unica cultus & fidei norma certissima. Ac proinde quicquid de Scripturis auctoritatem habet, admittatur: si non habet, eadem facilitate contemnatur, qua probatur. Hieron. in 23. c. Matth.

Verbum DE Scriptis
Prop: Evang: et Apo-
lor: comprehensum unica
certa ac infallibilis nor-
ma, ad quam omnia dog-
mata humana exami-
nanda et exigenda.

Q U Æ S T I O II.

Quid ergo de reliquis Ecclesiæ scriptis symbolicis sentiendum?

- X. Distinctione B. Lutheri optimè rem totam expediemus, cui Canon alius divinus est, alius Ecclesiasticus. lib. de servo Arbit. contra Erasimum.
- XI. Divinus est infallibilis illa regula sive trutina fidei Christianæ & morum piè vivendi, secundum quam omnia dogmata, omnesq; Doctores estimari ac judicari oportet: ipsa verò per aliam aliquam regulam judicari nec potest nec debet. F. C. Et de hoc canone priori questione egimus.
- XII. Ecclesiasticus est regula è Scripturis divinis extracta, & testis, qui docet, quòd etiam post Apostolorum tempora & in quibus partibus orbis doctrina illa Prophetarum & Apostolorum sincerior conservata sit: ac ostendit, quomodo singulis temporibus sacra litera in articulis controversis in Ecclesia DEI intellecta & explicata fuerint, & quibus rationibus dogmata cum Sacra Scriptura pugnantia rejecta & damnata sint. F. C.
- XIII. Hic 1. causa & origo hujus scripturæ Canonice notanda: quia enim statim post Apostolorum tempora, imò etiam cum adhuc superstites essent, falsi Doctores & heretici exorti sunt, qui Scripturas detorquendo, errores suos ijs palliando, plurimos in nassas suas pertraxerunt, piæ interpretationis beneficio Ecclesiæ in Scripturis magnoperè opus fuit, qua genuinus sacrarum literarum sensus, & piæ Ecclesiasticorum dogmatum sinceritas adversus corruptelas, probè muniretur. Hinc non tantum privata sunt exorta scripta: sed & contra hereticos Symbola in primitiva Ecclesia, ut & nostra sunt composita. F. C. & D. Mylius in A. C.
- XIV. Luculentum 2 discrimen inter Canonem divinum, hoc est, sacras Veteris & Novi T. literas, & Ecclesiasticum seu scripta Symbolica observandum venit. 1. Illius constitutio DEVM autorem agnoscit, cuius solius monitu, revelatione, instinctu & autoritate Libri Canonici haberi cepti sunt eo loco, quo DEVS ipse eos haberi voluit: hujus verò Ecclesiæ Orthodoxam. 2. Ille principium est & fundamentum: hic principatum, quippe ex ipsis Scripturis confectus & extractus. 3. Ille est ἀυτότης, cui πέντεως & per se fides tribuitur: huic secundario & κατ' ἀλλο credimus, propter consensum cum sacris literis. 4. Ille iudex, Joh. 12, 48: hic Testis & sententiæ Iudicis, interpres fidelissimus.

14. Tertium

XV. Tertium est Divisio. Est enim Canon Ecclesiasticus vel Catholicus vel Particularis. Catholicus breves & Categoricalas confessiones, quae unanimes Catholicæ Christianæ fidei consensum & confessionem Orthodoxorum & verae Ecclesiae exponunt, complectitur: vulgo Symbola vocamus.

XVI. In hunc tres præcipua iam olim recepti & ab Ecclesia approbati fuerunt, nostro tempore quartum Ecclesia adjecit. 1. Apostolicus Canon, ab ipsis Apostolicis ab invicem discessuris, si vulgata traditioni credimus, constitutus, Rufinus in Exposit. Symb. Hieron. ad Pammachium. Ambros. ser. 38. de jejunijs. 2. Nicænus vel Nicæno Constantinopolitanus, Anno Christi 328. in urbe Bythinia Nicæa conscriptus: & Anno Christi 381, in Concilio Constantinopolitano auctus & confirmatus. 3. Athanasianus à magno illo Ecclesiae lumine Athanasio Episcopo Alexandrino, post annum Christi 330. compositus, & à plerisque postea Synodis, Ephesina, Chalcedonensi &c. approbatus. 4. Concordia generaliter sic dicta, Anno Christi 1580 edita & promulgata.

XVII. Quæ tamen ipsa Concordia (quod probè contra calumnias notandum) cum reliquis Universalibus & totius Ecclesiae Catholicae consensu approbatis Symbolis ratione tum antiquitatis, tum autoritatis cõferri nequit; ratione autem certitudinis, postponi nullo modo potest aut debet, quia æquè ac illa è Verbo Domini est desumpta, & ex fundamentis sacrarum literarum solidè extracta.

XVIII. Habet tamen hæc Concordia sua certa membra: 1. Principem facile locum obtinet Augustana illa prima & non mutata confessio, quæ Imperatori Carolo V. Augusto Vindelicorum Anno 1530. in magnis imperij comitijs exhibita est. 2. Hanc excipit Apologia Augustanæ Confessionis, quæ Anno 1531. typis vulgata est. 3. Articuli Smalcaldici Anno 1537 à B. Luthero conscripti. 4. Minor & Major, D. Lutheri Catechismi, ut ij Tomis Lutheri sunt inserti. 5. Concordiæ Formula speciatim sic dicta: Epitome scilicet Articulorum, de quibus controversiæ orta sunt inter Theologos Augustanæ Confessionis (de qua nos $\sigma\omega\delta\epsilon\omega$ acturi): & solida, plana ac perspicua repetitio & declaratio eorundem articulorum:

XIX. Et ad hunc Canonem jam monstratum, omnis doctrina in religionis negotio conformanda, & si quid contrarium esse deprehenditur, id rejiciendum atq; damnandum est: quippe quod cum unanimes fidei nostræ declaratione pugnet. F. C.

XX. Particularis Canon Ecclesiasticus breves & speciales confessiones de summis fidei articulis Particularium Ecclesiarum à Canone divino & Ecclesiastico constructas continet. Qualis fuit Confessio Wurtembergensis, Lunæburgensis, Mansfeldensis, Ecclesiarum Pomeranicarum, Corpus doctrinæ Julium, Articuli visitatorii, itemque Apologia Articulorum visitationis Misnicæ, &c.

XXI. Hic juxta Scripturæ normam & symbola catholica examinandus & dijudicandus est, & si consentiat recipiendus, sin vel in rebus vel verbis vel phrasibus discrepet corrigendus, ne dissidijs & turbis ansa præbeatur.

QUÆSTIO III.

An licitum sit & concessum Ecclesiæ hæc nostræ ætate Confessiones conscribere?

XXII. Libenter sanè, Pontificij hanc nobis eriperent libertatem, idq; hoc, sed falso, pretextu, quasi conscriptione nostri Symboli Veteris Ecclesiæ symbola abrogarentur Hanson. p. 3. Sed ne ad horam quidem ipsis cedendum arbitramur.

XXIII. 1. Parati enim debemus esse semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in nobis est spe 1. Petr. 3, 15. At Cæsar poscebat rationem de ea, quæ in nobis spe erat, eamq; scripto comprehensam Sleid. l. 7, p. 186. Requirebat idem Concilium, quod Mantuæ in dictum: nec non perpetui Pontificiorum clamores, de mentrua Lutheranorum Confessione, formulam Concordiæ extorserunt. 2. Scripturæ interpretatio Ecclesiæ demandata est. Ergo & Confessionis conscriptio licita, quæ ad genuinum Scripturæ sensum notificandum & conservandum facit. 3. Ejus quoq; munus est, lupos inclamare, & pios contra illorum corruptelas munire: At dexterius hoc præstare nequit, quam brevi Confessione, thesi & antithesi constante in medium proposita. 4. Eadem Symbolum habere debet, quo ab omnibus hæreticis dignoscatur. Confessio autem nostra vel Concordia tale Symbolum est. Neq; verò hic Scripturam aut Symbola vetustiora exclusa volumus: sed quia non in legendo sed intelligendo Scripturæ consistunt, non in verborum folijs sed sensu rationis Hieron. contra Lucifer. & quivis hæreticus Scripturam crepet; sensus Scripturæ præcipuis in articulis breviter & nervosè Confessione nostra exprimitur. 5. Si primitive Ecclesiæ licitum fuit edere Symbola: quis nostra prohibebit? Ita tamen ut propter easdem causas facias.

XXIV. Non enim ullo modo Calvinianorum uel eorum approbamus, qui serè singulis annis novas cudunt Confessiones, & Confessionum Harmonias, tantum ut verbis subdole mutatis, virus suum latius spargant & turbas Ecclesie DEI dent. Levitas hæc est fugienda; & Sophistica detestanda: candori contra & constantie Ecclesie cum primis in edenda Confessione studendum est.

QUÆSTIO IV.

Quis sit autor Libri Christianæ Concordiæ?

XXV. Accessum nunc faciemus ad specialiora Librum ipsum Concordiæ, quem jam præ manibus habemus, concernentia, de cujus primo autore primo loco ut dispiciamus maxime perè necessarium.

XXVI. Hic si ad prima veniendum principia. 1. Primarium ejus autorem & summum Spiritum Sanctum statuimus, omnis boni fontem, quæ hodieq; Ecclesiam Christi, in omnem veritatem, hoc symbolo expressamdu: it. Iohan. 16, 13. 2. Organon, à quo mediatè hic liber profectus, non unum, sed plura damus, quamvis diversa diversorum cura fuerit & actio. Ecclesie ergo ejusq; tum temporis primario membro AVGVSTO Duci & Electori Saxonie, piissimo ac laudatissimo, Inventionem totius operis attribuimus: Theologis verò ad hanc rem deputatis (inter quos primarij D. Jacobus Andrea & D. Martinus Chemnitius fuerunt) dispositionem & elocutionem assignandam rectissime existimamus: attestante id Præfat. in F. C. a ult. b.

XXVII. Calumnia itaq; est spiritui Calvinistico digna, quando opus hoc in solidum sex delectis Ubiquitatis patronis, vel etiam unico Theologo Smidelino, cujus ceteri senatores fuerunt pedanei, tribuitur & ascribitur prout inter alios nugatur Hospinianus in Concordia Discorde p. 77. & 78.

XXVIII. Quod enim 1. totius Ecclesie est, parti uni tantum tribuere veritas prohibet. 2. fuerint sanè pauci, quorum opera in cōscribendo hoc libro Ecclesie usa, oprimitamen fuerunt, & Ecclesiarum nostrarum in summo utroq; ordine antesignani, atq; proceres; accessitq; postmodum approbatio & consensus Ecclesiarum publicus. 3. Et cur non Augustanam Confessionem quam soli Philippo & quoad verba & quoad verum ac genuinum sensum tribuunt, hæc ipsa de causa rejiciunt? 4. Sed nec Athanasianum Symbolum, quæ 1. solum Athanasium agnoscit autorem: nec Apostolicum, quod duo-

B

decima

decim Apostolos: nec decretum Nicanae Synodi de nuptijs & conjugio clericorum, quod solum Paphnutium: nec Anathematisimos Ephesine Synodi quod solum Cyrillum autorem fatentur haecenus proscripserunt; quod ergo iure nostram Concordiam, si vel ab unico, consensu tamen & assensu totius Ecclesiae conscripta esset, proscriberent? 4. Et hoc egregium est Calvinio Papi-
sticum paradoxum, quo in multitudine veritatem sitam esse asserunt; cum tamen multitudo errantium non pariat errori patrocinium.

QUAESTIO V.

Quæ sit & quanta Libri Concordiæ autoritas?

XXIX. Ex autore de autoritate hujus Scripti iudicium facere, facile erit. Dei enim Spiritus sancti, ejusque Ecclesiae opus cum sit, ab ijs etiam autoritatem non contemnendam sortietur.

XXX. Divinis sanè Scripturis neque praeponimus neque exaequamus: neque etiam in omnibus cum symbolis illis Catholicis conferendum arbitramur: symboli tamen loco esse volumus, quod in nostrarum Ecclesiarum usu valeat: & proinde tantam mereri fidem & autoritatem, quantam liber Symbolicus mereri unquam vel potest vel debet.

XXXI. Idque quatuor his de causis. 1. quia liber hic solide in verbo DEI fundatus, & ex eo extractus est. 2. quia pulcherrima methodo principalia religionis capita brevissime ac nervosissime exponit. 3. Licet voce divina immediate editus non est: attamen per accuratam verbi divini meditationem, animos illuminante Spiritu Sancto, Orthodoxi & Praecipui majorum nostrorum Theologi illum confecerunt. Gesn. Disp. 2. in F. C. 4. Quia ex illis desumptus Scriptis, quae in Evangelicis Ecclesijs recepta & subscriptione confirmata fuerunt, & propterea ab ijs, qui dissident, & priora illa pro sinceris agnoscunt Scripta, reprobari nullo modo potest.

XXXII. Hinc multi iusta tamen inter Scripturas & Symbola servato discrimine Θεόπνευστον illum appellare non dubitarunt. 1. Quia firmissimo Scripturarum sacrarum fundamento, quae divinissima ipsius Spiritus Sancti oracula sunt, totus nititur. 2. Insatiabili etiam odio Diabolus omnis Concordiae hostis adversus hunc symbolicum librum furenter aestuavit, satis numeroso in aciem protruso exercitu, collecto ex Sacramentarijs, Romanensibus, Flacianis, Crypto-Calvinistis & falsis fratribus. Vide Huterum.

rerum in F. C. 3. Invieta ejus duratio contra omnes hos Satanae insultus,
idem evincit: neq³ enim vi, neq³ fraude scriptum hoc abolere haecenus po-
tuit vel unquam poterit.

XXXIII. Minime verò omnium haec ita accipienda sunt, prout Pon-
tificij ex proprio ingenio nos aestimantes, somniant. Quemadmodum enim
illi traditiunculas suas pari pietatis affectu cum Sacra Scriptura recipiunt
& venerantur: ita & nos Canonicam eamq³ divinam auctoritatem Symbo-
licis nostris libris attribuere, imò Scripturae praeponere & quinti Evangelij
loco habere putant. Ut nihil dicant de Veteribus Ecclesiae Catholicae sym-
bolicis, quorum auctoritas nostris Scriptis convellatur, eaq³ extra Ecclesiae Po-
meria eliminantur. (Quam calumniam etiam suam fecerunt Calviniani
Hospinianus p. 60. b.)

XXXIV. Scientes enim de industria mentiuntur illi nequam homi-
nes: patet haec vel ad oculum ex thes. 13. & 16. & protestationibus nostrae
Ecclesiae saepius in Formula Concordiae repetitis. Idcirco quoq³ praemissa est non
tantum infallibilis Canonis in rebus fidei luculenta notatio, sed etiam tria
illa è Scriptura petita Symbola Catholica ipsi Confessionis praefixa: reliqua li-
cet non expresse posita sint, suo tamen loco ubi opus erat citata, nec ullo
modo abolita. Et sicut apostolico Symbolo Nicanum nil derogat: sic nec
Concordiae Nicenae. Symbola enim posteriora non veritati, quae omnibus
Symbolis antiquior, sed mendacijs, quae infinita & quotidie nova prode-
unt opponuntur. Gesn. disp. 1. in F. C.

NB.

QUAESTIO VI.

Quaeritur occasio, & quae causae conscripti Libri Formulae Concordiae.

XXXV. Electores & Principes qui subscripserunt Formulae Concordiae,
ut varias hostium calumnias hac in parte evitarent, in ipsa Praefatione oc-
casionem & causas instituti operis gravissimas recensere coacti fuerunt, quas
nos breviter excerpemus.

XXXVI. Occasionem conscribendi Formulam Concordiae praebe-
rent Augustanae Confessionis Hostes partim: partim ejusdem Socij.

B 2

37. Hostium

XXXVII. Hostium alij occulti fuerunt, Philippistæ, qui per cuniculos rem agere, Calvinismum propagare, & simplicioribus ac incautis, maximè in Electoratu Saxonico, instillare atq; veneno suo inficere studuerunt. Quorum nefarios conatus prolixè describit D. Hutterus in F. C. p. 5. & seq. & D. Piscator Disp. I. in F. C. quo brevitatis causa nos referimus.

XXXVIII. Alij Manifesti tum Pontificij, tum Sacramentarij. Illi in publicis Scriptis gloriabantur, inter Lutheranos, adeo nullam esse religionis certitudinem, ut vix duarum, vel trium Ecclesiarum ministri inveniri possint, qui de omnibus & singulis doctrinæ Christianæ capitibus idem sentiant ac doceant. Dissidere apud nos Diaconos à Pastoribus: Pastorem à Superintendente: vicinum à vicino. Hinc toties Augustanam Confessionem mutatam & mutilatam, ut de vero exemplari & authentico inter Lutheranos non constet amplius. Hi verò, cum probè cognitum haberent, Augustanæ Confessionis socios in Comitibus illis Anno 1530. id operam dedisse, ne Cingliani ob dissentaneum de Sacra Domini Cæna dogma, ad confessionis societatem admitterentur: clandestinis consilijs effecerunt, ut privato at temerario ausu Decimus Confessionis Articulus, ex professo ipsorum impietati oppositus, mutaretur & mitigaretur: unde ipsi Augustanam Confessionem pro se allegare, seq; pro veris ac genuinis Augustanæ Confessionis sectatoribus venditare cœperunt: imò etiam sub illo pretextu dogma illud pugnans cum institutione Cænae sacra clam in Ecclesias & Scholas introducere conati sunt.

XXXIX. Socij deniq; Augustanæ Confessionis causam huic Scripto dederunt. Cum enim B. Lutherus rebus exemptus esset humanis, Cæsar, qui victor in bello evasit Smalcaldico, urgebat, ut conformitas quaedam religionis, si non quo ad dogmata, vel saltem quo ad ceremonias institueretur. Hic certaminum initium. Alij pacis causa aliquas in usum revocandas concesserunt; alij simpliciter id negarunt. Alij timidiores propius ad dogmata Pontificiorum inclinarunt; alij rigidiores quandoq; ex altera parte peccarunt: Accesserunt paulatim aliæ distractiones & disputationes, quæ non intra justas metas ac limites τῆς συζητήσεως, quæ veritatem inquirat, se continebant: sed dissidentes partes paulatim longius ibant, & contra quam Theologica ferebat gravitas & dignitas se invicem deformabant, & alter in alterum, quas noverat contumelias, coniciebat & cum hi omnes Augustanæ Confessionis se addictos esse profiterentur, inq; suum quisq;

quæq; interpretaretur commodum: demonstrandum necessarium erat; Vt
pars verè Augustana Confessione adhaeresceret, utra verò ab eius puritate
recessisset: id quod in Libro Concordiæ abundè præstitum, ut malitiosè
cæcus sit, qui id agnoscere non velit.

XI. Nequaquam ergo vero consentaneum, quod Sturmius & Hospinia-
nus continent. Primam Originem Libri Concordiæ fuisse Ubiquitatis cor-
poris Christi defensionem & propagationem, & novorum Cæne sacre fun-
damentorum extructionem: Fundamenta enim cæne ea proponit nostra
Concordiæ, quæ ab ipso Luthero statim ab initio certaminis proposita sunt
& masculè defensa F. C. p. 599, & 752. Inviti etiam ab adversarijs ad di-
sputationes de Personali duarum naturarum in Christo unione protracti su-
erunt F. C. in Præf. b3. b. (& consentit Hospinianus in Conc. Discord.
c. 1. statim ab initio:) Ex qua promanantem necessario Majestatis divine
realem communionem; exoso Ubiquitatis nomine sed frustra explodere co-
nantur.

XLI. Multò minus hæc ipsa Concordiæ, Concordiæ Formula, quæ inter
Saxonicas & superioris Germaniæ Ecclesias inita fuit Anno 36. antiquata
fuit. Per omnia enim congruit cum Symbolicis nostris libris, ac propterea
Concordiæ nostræ inserta est, 729. Et quid quæso Formula Concordiæ Anno
1536. ad Sacramentarios cum impietas doctrinæ illorum expressè in ea da-
mnata sit: id quod Helvetij animadvertent, ideoq; Bucerus illis hanc For-
mulam neq; probare neq; persuadere potuit.

QUÆSTIO VII.

Quid opus Libro Concordiæ cum corpus do-
ctrinæ Philippi pro norma haberi
potuisset?

XLII. Gravissima in promptu cause sunt, ob quas Symboli & norma do-
ctrinæ loco Corporis doctrinæ Philippicum in nostris Ecclesijs nec haberi nec ad-
mitti potest. 1. Symbola consensionis & norma doctrinæ debent ab Ecclesia
approbari & consentientibus votis recipi. At Corpus hoc doctrinæ 1. ab Ec-
clesijs Evangelicis non est receptum. 2. à Crypto Calvinianis quibusdam
obtrusum. 3. eidem semper ab Ecclesiæ præcipuis Doctoribus reclama-
rum. Ergo. 2. Symbolum consensionis & norma doctrinæ non debet esse

passum diversorum dogmatum: alioquin non erit norma vera sed varia doctrina, & Symbolum consensionis, non tantum cum veris, sed etiam putridis Ecclesie membris. At Corpus hoc doctrinae ita concinnatum, ut quamplurimi recentiores hereticorum sub eo integumenta suorum errorum quaerere possint. Vide Hutt. in F. C. 16. ubi ostendit, septem Articulorum fidei ορθοδοξίας enormiter corpus hoc labefactare, imò tollere. Ergo. 3. Symbolum consensionis, non debet esse pomum contentionis: ita ergo sit constitutum & munitum, ne novis contentionibus, quoad genuinum eius intellectum ansam præbeat. At in corpore doctrinae Philippi quamplurima occurrunt quae novis disputationibus occasionem præbuerunt. 4. Symbolum Consensionis non debet sibi ipsi contradicere, neq; in verbis neq; in sententiis. At si primæ editiones Augustanæ Confessionis, Apologiae & Locorum Communium conferantur cum editione ea, quæ habetur in Corpore Doctrinae, deprehendetur δὸς Δε πρὸς τὸν inter se discrepare. Ergo pro Symbolo Consensionis & norma Doctrinae recipi nullo modo potest.

XLIV. Contra: Quia Liber Concordiæ 1. consentientibus Ecclesie Evangelicæ votis approbatus, 2. disertè damnanda damnat. 3. apertissimis etiam verbis articulos controversos explicat, 4. in eorū omnium librorum jucunda Harmonia invenitur: quæ enim in prioribus affirmantur, in posterioribus confirmantur: merito Symbolum Consensionis nostrarum Ecclesiarum appellatur, & loco Normæ doctrinae, eo loco & gradu, prout hæcenus explicatum, esse debet.

QUÆSTIO IIX.

Quis processus in conscribendo & publicè exscribendo F. C. Libro observatus fuerit?

XLV. Rem omnem prout gesta est & publicis constat Scriptis summètim recensimus: nihil mendacia & calumnias adversariorum curantes.

XLVI. Initio ergo, ut de Conscriptione agamus, Electores & Principes, partim clandestinis Sacramentariarum machinationibus, partim tristissimis Augustanam Confessionem profitentium concertationibus moti, Anno Christi 1558. Francofurti ad Mœnum in Comitibus de remedio, his malis adhibendo consultarunt, & communibus votis in eam sententiam itum est, ut peculiaris & communis conventus hoc de negotio haberetur. Præf. F. C. a. 6. b.

47. Anno

XLVII. Anno ergo 1561. Naumburgi in Thuringia conven-
runt: Sed non planè & plenè assequerantur scopum, quem unice præ-
fixum habebant: Pontificij enim subscriptionem Augustanæ Confessionis
ibi iteratam, in eam partem acceperunt, perinde ac si ita incerti de reli-
gione nostrates essent, eamq; toties in alias atq; alias formas transfunde-
rent, ut nec Principibus nec Theologis constaret, quæ illa olim Augusta Ca-
rolo V. oblata Confessio esset: Calviniani verò sub prætextu Augustanæ Con-
fessionis dogma illud pugnans cum institutione Sacræ Cœnæ corporis & san-
guinis Christi & alias corruptelas passim in Ecclesias & Scholas introduce-
bant: neq; etiam dissidia Augustanam Confessionem amplectentium minue-
bantur, sed subinde magis magisq; crescebant.

XLVIII. Pij ergo & Orthodoxi quidam Theologi à Pijssimo Saxonie E-
lectore in arcem Lichtenberg ad Albim Anno 1576. convocati hoc con-
siliij dederunt, ut privatis contentionibus sublatis, & Libris Calvinisticis ex-
pulsis, Scripto quoque Articuli controversi ex Verbo DEI solidè accuratèq;
declararentur & explicarentur; falsa dogmata rejicerentur & damna-
rentur; contra autem divinitus tradita veritas disertè & luculenter propo-
neretur. Hac enim ratione adversarijs silentium imponi, & simpliciores
in veritate confirmari posse.

XLIX. Probavit consilium Elector AVGVSTVS & cum consensu a-
liorum quorundam Electorum & Principum Augustanam Confessionem pro-
fitentium Anno 76. mense Maio Torgam Misnia evocavit præcipuos quos-
dam Augustanæ Confess. Theologos eruditione præstantissimos, rerum usus
exercitatissimos, minimeq; suspectos. Ab his ipse Elector Laudatissimus
coràm clementissimè postulavit, ut tum de articulis controversis, tum de Scri-
pto aliquo pacificationis sententias suas inter se religiosè & placidè conser-
rent: gravissimè eos admonens, ut seposito omni personarum respectu, & ne
habita quidem ratione autoritatis vel existimationis Ecclesiarum suæ Cel-
sit. subjectarum, in unum DEI Verbum intenti essent, & juxta ejus normam
ac præscriptum omnes ac singulas controversias deciderent.

L. Theologi ergo illi à precibus ardentissimis ad DEVM rem exorsi, de con-
troverfijs singulis summa cura & diligentia diligentissimè contulerunt; ac
tandem suam sententiam de istis articulis Scripto comprehensam, Electori
obtulerunt. Hæc prima Libri Concordiæ delineatio fuit.

LI. Scriptum hoc idem Saxonie Elector præcipuis Electoribus, Principi-
bus & ordinibus transmisit, petens, ut adhibitis suis Theologis doctrina

zelo

zelo & iudicio præstantissimis, suam de eo sententiam & censuram scriptis comprehenderent, sicq; suum iudicium, & de ipso Scripto & de singulis articulis liberrimè exponerent.

LII. Status ille pleriq; consilium Electoris grata mente acceptarunt & Theologorum pias ac utiles censuras transmiserunt: non quod à doctrina transmissi Libri ulla in parte dissentirent, sed ut monstrarent, qua ratione hoc scriptum sacre Scripturæ testimonijs confirmari & ita communiri possit, ne veliam sub huius declarationis prætextu impia dogmata occultarentur, vel progressu temporum ex quorundam verborum ambiguitate nova dissidia orirentur: sed ut sincera ac minimè fucata declaratio sincera doctrine ad posteritatem transmitteretur.

LIII. His censuris acceptis Elector Saxonie sex præcipuis Theologis mandavit, ut ex notationibus & commonitionibus aliorum Theologorum librum hunc ex bono meliorem redderent. Convenerunt ergo hi Anno 1577. mense Martio in Phronisterio Bergensi propè Magdeburgum & diligenter lectis, examinatis, ponderatis & expensis censuris, ex ijs omnibus Librum Concordiæ ita conformarunt, ut nulla Ecclesia iure conqueri potuerit, sua admonitionis nullam habitam fuisse rationem. Et hæc secunda vel etiam tertia quasi lima Libri Concordiæ fuit.

LIV. Liber ergo Concordiæ hunc in modum castigatus, denud missus est ad eosdem ordines, ut si amplius quid desiderarent, nec illud dissimularent. Sed DEI Opt. Max. benignitate factum est, ut pleriq; eum probarent, & in testimonium consensus eidem subscriberent. Quod secundo loco enodandum.

LV. Subscriptionem enim hanc non tantum Electorum sed etiam Theologorum & Ludimoderatorum adversarij nostri Iesuitæ & Calviniani miris sarcasmis excipiunt.

LVI. Fatuitas autem illorum ad oculum patebit, si I. Vera subscriptionis causa monstratur, quæ non fuit ut multitudine subscribentium vincerent, sed ut obviam irent calumnijs Pontificiorum, & demonstrarent. non tantum duos aut tres, sed DEI gratia quamplurimos apud Evangelicos inveniri, qui in omnibus & singulis doctrine capitibus idem sentirent.

LVII. II. Legitimus in subscriptionum petitione observatus modus notetur. Talis autem in Saxonia Electorali, ubi initium factum observatus Convocati sunt ad Superintendentem aliquem primarius aliquot vicinarum Ecclesiarum & Scholarum ministri, quibus propositum Electorum & Principum de sancienda pia Concordia est significatum: ijdem
excitati

excitati sunt ad diligentem atq; accuratam auscultationem, considerationem & meditationem earum partium doctrinae, quae in Libro continentur: deinde Liber ipsis articulatus & distincte praelectus est; tandem absoluta lectione singuli auditi, an haberent, de quo monerent.

LII. Quidam mox Librum ultro prompto animo, DEO & Electori gratias agentes exceperunt, professi in eo contineri sanam doctrinam & declarationem controversarum articulorum, congruentem cum Verbo DEI & Augustana Confess. ideoq; se toto pectore illam doctrinam amplecti, ore & manu testati sunt. Quidam vero in aliquibus articulis hesitantes animi suo scrupulos aperuerunt, sed audita informatione & institutione ex Verbo DEI, acquieverunt, sicq; & ipsi lubenter & promptè subscripserunt.

LIX. Hoc exemplum Electoris Saxoniae, reliqui etiam Electores, Principes & status Imperij, qui Concordiae Formulam jam approbarunt, secusè sunt & subscriptiones suorum quoq; Concionatorum & in Scholis laborantium collegerunt. Sel nec. in Recitatio.

LX. His tandem subscriptionibus collectis, Anno Christi 1580. publicè typis exscriptus est Aureus Aurea Concordiae Liber, & quidem in publicum emissus ob causas longè gravissimas, quas Praefatio For. Conc. recenset. 1. Ut constaret hoc Concordiae negotio nequaquam novum quid commanifestum aut à veritate Doctrinae caelestis, quam majores nostri, sicut & nos agnoverunt, & professi sunt in scriptis illis Symbolicis, vel à rebus ipsis, vel à praesentibus ullo modo discedi. 2. Ut testarentur se solam primam illam Augustanam Confessionem Imperatori Carolo V. Anno 1530. in celebribus illis comitijs Augustanis exhibitam, nec ullam aliam amplecti. Nunquam enim posteriorem editionem in ea sententia acceperunt, quae à priori illa, quae exhibitam fuit, ulla ex parte dissideret. 3. Ut inter tot nostris temporibus exortos errores & distractiones pia explicatio & conciliatio harum controversiarum è verbo DEI extracta extaret: ut secundum rationes ejus sincera doctrina à falsa internosceretur & secerneretur. 4. Ut turbulentis contentiosisq; hominibus, qui ad nullam formulam purioris doctrinae astringi se patiuntur; liberum non sit pro sua libidine controversias cum offenculo conjunctas movere, & prodigiosas opiniones & proponere & propugnare. 5. Debeatur, hoc tum subditis, tum toti, si qua futura, posteritati, ut quae ad hujus & futurae vitae rationes pertinent, salva & illibata transmitterentur & conservarentur.

C

QUAE

QUÆSTIO IX.

Quæ sit materia Libri Concordiæ!

LXI. *Postquam Magnus ille Postremi seculi Elias Lutherus exentus esset rebus humanis incidere tempora periculosissima & perturbationes gravissima. Et, quia Pontificia cohors superiores partes tenebat, Imperatorq; Carolus V. urgebat, ut conformitas quedam Religionis, si non quoad dogmata, vel saltem quoad ceremonias per Imperium institueretur.*

LXII. *Mox disputatum est: Anne pacis causa aliqua ceremonie, que jam cõiderant in usum revocanda sint. Hic in diversas itum sententias. Quidam ne ad horam quidem cedendum contendebat, metuentes, ne si in ceremonijs cederent, etiam in dogmatibus pacis causa aliquid remittere cogerentur; Alij pacis plus equo studiosiores, omnino ceremonias quasdam recipiendas esse suadebant, de quo Articulus L. C. X. agit.*

LXIII. *Rursus alij hise non contenti in quibusdam etiam doctrina capitibus paulatim propius ad Pontificios inclinabant: Cumq; Papiste Liberrum Arbitrium plenis buccis depradicarent, ipsi homini cõvegyeicav, capacitatem & habilitatem in conversione tribuerunt: Articulus I. L. C.*

LXIV. *Hanc scyllam vitaturi, Alij fervore disputationis in Charybdim incidere putantes, si peccatum assereretur esse substantia ipsa hominis fortius sese liberi arbitrij vires posse enervare: Articulus I. L. C.*

LXV. *Ahac cum Papista bonis operibus justificationem coram DEO ascriberent: Alij justiciam per solum Christum partam constanter asserabant, sed utrum Christus sit nostra justitia secundum Divinam Naturam tantum, an secundum humanam, an secundum utramq; graviter disputatum Articulus III. L. C.*

LXVI. *Alij justificationem fidei quidem retinere volebant, sed tamen bona opera necessaria ad salutem esse contendebant; quibus alij contradicentes, perniciofa illa esse dixerunt. Articulus IV. L. C.*

LXVII. *Insuper Papista Legem & Evangelium penitus confundebant: Aliqui quoq; hac in parte propius ad illos accedebant, Evangelium poenitentia, cujus tamen prior pars ad Legem pertinet, pradicacionem esse desiniebant, Articulus V. L. C. Aliqui Legem planè tollebant ex agro Ecclesia, & ad curiam imò patibulum relegabant. Articulus VI. L. C.*

LXVIII. *Præter hac semina false doctrina etiam alia distractiones paulatim accesserunt, ut disputatum sit de circumstantijs quibusdam temporis, personarum:*

persona status &c. ad Articulum de Descensu Christi ad inferos pertinentibus. Articulus IX. L. C.

LXIX. De aeterna quoque filiorum DEI Electione aliquid gliscere cepit, & valde dissimiles de negotio hoc sermones usurpati. Articulus XI. L. C.

LXX. Tandem cum Anno 1552. mita pax esset religionis Passavij, & postea Anno 1555. Augusta in publicis comitijs sancita; Calviniani ab hac se exclusos doluerunt, & ab eo tempore subdole in Confessionem nostram, subintrare conati sunt: animos quorundam Theologorum, qui Augustanae Confessionis religionem jactitabant, verborum lenocinijs circumvenerunt, ut non tam clam & occulte, sed partim etiam aperte ad Sacramentarios desicerent, & contra conscientiae suae testimonium Augustanam Confessionem violenter in alienam sententiam pertraherent, ut hoc modo dogma illud pugnans cum institutione sacrae Coenae introducerent, quod ut felicius obtinerent, majestatem etiam ipsius Christi hostilianimo impugnare non dubitarunt. Facere ergo non potuerunt, quin hos notarent errores, veritati testimonium perhiberent suos ut sibi ab hoc pestilenti errore caverent, fideliter admonerent & piam & sinceram doctrinam per DEI gratiam, etiam ad posteritatem transmitterent, quod Articulis VII. & VIII. L. C. praestitum.

LXXI. Denique aliarum haereson & sectarum, quae nunquam Augustanam Confessionem sunt amplexa, praecipua dogmata ad calcem hujus Libri recitantur, ut ab his erroribus omnibus, DEI gratia, nos immune esse publice testarentur & Pontificiorum calumniae refutarentur.

QVÆSTIO X.

Utrum Calvinianis injuria fiat, quod inter alios etiam ipsorum errores in Libro C. rejiciantur & damnentur?

LXXII. Gravissimam hic nobis intendunt licem Calviniani, quod omnis Christiana caritatis obliti, illos illorumque doctrinam, in nulla Synodo auditam vel erroris convictam, rejiciamus, damnemus & anathemate percutiamus. De cujus tamen vanitate vide Selneccerum in Recitationibus p. 40. & D. Hutterum in F. C. p. 29.

LXXIII. Quicquid enim hac in parte fecimus, Scriptura praeunte fecimus I. Episcopi est non solum ἀντίχειν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων, sed etiam

7
tam εὐαγγέλιον τῆς ἀληθείας καὶ ἐπιστολῆς, Tit. 1. 9. & 11. 2. Qui-
ning, aliud Evangelium docet, quam quod Paulus predicavit, ille ἀνὰ θεοῦ
esto Gal. 1, 8. 3. Hæreticus homo, post unam & alteram admonitionem vi-
tandus Tit. 3, 10. 4. Legis est maledictionem denuntiare omnibus, qui non
permanent in sermonibus DEI Deuter. 27, 26. 5. Sicut non perfectè cre-
dunt, qui quod credunt loqui nolunt: ita manca est confessio, qua veritatis
quidem doctrinam asserit, sed non falsam etiam damnat & redarguit.
6. Et cum Augustinam Confess. pro sua (sed falso) agnoscunt, cur non ex
illa ἀντιθεσεν, vi caritatis moti, expungunt.

LXXIV. Ceterum tria hic probe observanda veniunt. 1. Personæ,
qua formulis illis damnatorijs petuntur: 1. non ij, qui ex quadam animi
simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinae celestis sunt.
2. multò verò minus tota Ecclesiæ, quæ vel sub Romano Imperio nationis
Germanicæ, vel alibi sunt. 3. sed duntaxat pervicaces fanaticarum opi-
nionum Doctores & blasphemi propagatores.

LXXV. II. Vox Damnamus, qua vocat. 1. non aqua & igni interdici-
cere & carnifici excruciosos tradere, 2. omnium verò minimè omni spe
salutis absolutè denegata, Diabolo tradere. 3. sed partim Ecclesias nostras,
ab errorum & hæreticorum, quos rejecerunt approbatione & consortio pe-
nitius abhorre: partim his legis fulminibus, seu extremis remedijs, salu-
tem errantium querere.

LXXVI. III. Causa damnationis. Non ut molestia aut periculum cree-
tur pijs, qui persecutionem patiuntur. Sed 1. ut universi sibi ab his dogma-
tibus caverent. 2. scirent illos errores, expresso DEI Verbo repugnare, &
quidem ita ut cum eo conciliari nequeant. 3. ut ij, qui hætenus non per om-
nia nobiscum senserunt, sed vel ex simplicitate, vel inscitia à veritate
aberrarant, de periculo salutis suæ, ea, qua deiet moderatione doceantur,
quo corruptelas illas agnoscant, & immota veritati Verbi DEI nobiscum
& cum Ecclesijs ac Scholis nostris consentiant. 4. ne qui justè damnantur in
Confessione, probentur Consuetudine, patrocinio vel sædere, & sic nostris
Ecclesijs, insidiosis & clancularijs illorum machinationibus extremum peri-
culum creetur. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

FINIS.

822 A 33

ULB Halle 3
001 586 408



Sb


ber

EO-Ry
03.10.1

DM







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Polykarp

28

S JEHOVÆ
THEOLO-
PITOME FOR-
CORDIÆ
S I.

DIARIA
NORMA: ET
DIÆ LIBRO.

IDE
OLYSERO
ntiat. & Profess.

nario.
DENTE
TTENBACHIO
berg,
2. *Martij horis*
tutinis.

ERGA,
GORMANNI.
1611.

